



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **S. Odilo Abbas. Cura defunctorum**

**[Köln], [1654]**

S. Petrus Martyr. Pia Symboli recitatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)





S. PETRUS MARTYR.

*Pia Symboli recitatio.*

Præsta quæsumus, Domine, ut fidei  
Symbolum mente & ore frequentan-  
tes, B. PETRI devotionem imitemur;  
qui quod puer didicerat, etiam mo-  
tiens pronuntiabat.

*Ora pro S. Inquisitionis ministris,*

✠



**P**ETRVS, hæreticis parentibus Veronæ natus sub an. 1206, septennis puer in scholis Symbolum fidei didicit, nec deinceps ab ejus professione potuit ullis suorum minis blanditiisve dimoveri. Cum Bononiæ studeret, in Ordinem Prædicatorum admitti petiit & obtinuit, an. 1221. In eo ad eximiam animæ puritatē, nulla unquam graviori labe inquinatam, & vitæ rigorem singularem, singularem quoque adjecit doctrinam. His donis ornatus, innumerum ad se populum alliciebat, ubicumque prædicaret; verbo & opere potens, præsertim contra hæreticos. Itaque à Gregorio IX constitutus fidei Inquisitor, in eoq; munere ab Innocentio IV confirmatus, cum eos variis locis expulisset, sic irritavit; ut in necē ejus conjurati, sicarios conduxerint duos. Hi Mediolano Comum euntem aggressi, duplici in caput vulnere læsum, Symbolumq; Apostolicum recitantem, adacto in latus mucrone peremerunt. Corpus Mediolani sepultum apud suos ad S Eustorgii, cum plurimis clareret miraculis, Martyrem declaravit Papa præfatus, an. 1252.

*Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus.*  
Rom. 10.